



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 5. A quo sit danda approbatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

intelligendum sit.

22
Approbatio
confessoris,
non est de
legatio iurisdictionis.

annexam, ut sunt non solum Episcopi, sed etiam aliqui Abbates, aliqui Archidiaconi, Archiepiscopi, &c. quia de his omnibus est eadem, vel maior ratio, & quia, ut supra in simili dixi, sub inferiori includitur id, quod superius est. Aliqui vero hoc etiam extendunt ad prelatos religionum ex paritate rationis: sed non recte, licet habeant iurisdictionem ordinariam, non tamen beneficium; & standum est verbis legis. Et preterea, quia, licet habeant iurisdictionem, non tamen in seculares, & ideo non statim censentur approbati respectu illorum; hic autem agitur de approbatione respectu secularium.

Sexto circa aliud membrum de approbatione Episcopi, supponendum in primis est, hanc approbationem non esse delegationem iurisdictionis, sed aliquid praeiudicium ad illam, sicut paulo antea dicebamus, approbationem ipso iure per beneficium parochiale, esse uniuersalem pro tota Ecclesia quantum ad proximam capacitatem iurisdictionis, ut sic dicam: quantum ad huiusmodi actualis iurisdictionem non habetur per beneficium. Ad hunc ergo modum se habet haec approbatio respectu sacerdotis non habentis beneficium. Unde religiosi, quantum non accipiant iurisdictionem ab Episcopis, sed à Summo Pontifice per sua privilegia; nihilominus indigent Episcopi approbatione: & quando aliquis eligitur per bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, aut simile privilegium Pontificium, iurisdictionem recipit à Summo Pontifice, ut autem sit capax eius, approbatus esse debet. Ac denique Episcopus ipse potest approbare, & non delegare iurisdictionem: nam concessio iurisdictionis est, veluti quaedam gratia, quam liberaliter facit Episcopus: haec vero approbatio est veluti opus iustitiae, scilicet, iustum iudicium quo aliquis declaratur idoneus. Unde postea recte Episcopus hoc iuridice declarare, & approbare, & nihilominus non delegare suam iurisdictionem sic approbato: postea etiam simpliciter approbare, & tamen iurisdictionem solum concedere ad tempus, vel durante sua vita, & tunc licet per mortem Episcopi cessaret iurisdictionem, non tamen approbatio. Unde (ut hoc obiter notemus) multo certius est haec approbationem non finire per mortem Episcopi, quam sit de iurisdictione: imo, licet sit certum iurisdictionem posse communicari dependenter à voluntate, vel vita Episcopi; de approbatione vero ista non est certum, sed valde dubium, quod infra tractabo. Quocirca haec approbatio nihil aliud esse videtur, quam publica quaedam sententia, seu auctoritativa contestatio de sufficientia talis sacerdotis ad audiendas confessiones, quam Concilium Tridentinum voluit esse veluti dispositionem necessariam, ut simplex sacerdos proxime sit capax iurisdictionis, & eligibilis per privilegia.

SECTIO V.

A quo approbatio danda sit, & an sufficiat petita.

Dvo petuntur: vnum de persona habente potestatem approbandi: aliud de necessitate huius approbationis. Primum satis videtur à Concilio declaratum, digente hanc approbationem ad Episcopum pertinere. Sed oportet exponere, quid nomine Episcopi in Concilio intelligendum sit. Neque est difficultas de Episcopo tantum electo, aut confirmato: nam certum est Episcopum non habentem iurisdictionem non posse hanc approbationem dare, cum iurisdictionis actus sit, ut declaratum est. Unde consecratus Episcopus, si Episcopatum non habeat, approbationem hanc nemini dare potest, & e conuerso, qui est electus tantum in Episcopum, nihil in hoc potest; quia nondum iurisdictionem habet; poterit autem is, qui electus est, & confirma-

A tus, licet nondum consecratus sit, quia iam est verus Episcopus, & potest iurisdictionis actus exercere. Preterea non est difficultas de Vicario Episcopi, nam ille tanquam vnus cum Episcopo censetur; eius enim iurisdictione vtitur: unde non est dubium quin possit hanc approbationem dare, quod etiam vnus confirmat: nam Concilium non dicit, ut Episcopus per seipsum approbet: potest ergo sine dubio id facere per Vicarium suum.

Sed difficultas est de Capitulo Sede vacante, & de nonnullis Abbatibus, vel aliis prelati exemptis, qui in ceteris actibus iurisdictionem habent Episcopalem. Et est ratio dubij, quia isti non sunt Episcopi, & verbum decreti seu Concilij videtur in rigore & proprie intelligendum. Et auget difficultatem responsum quoddam Congregationis Cardinalium explicantis dubia circa Concilium, quæ in hoc casu respondit fere in hæc verba. *Cum exponere confessoris sit proprium vnus Episcoporum, nullus alius potest in hoc se intromittere.* Nihilominus de Capitulo Sede vacante non dubito quin possit approbare, & exponere confessores, Probatur primo ex vltimo, ita enim facit per Vicarium suum. Secundo, quia hic actus approbandi non est actus ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis, non sibi specialiter delegatæ à Pontifice, sed ordinariæ; hoc enim illis tribuit simpliciter Concilium ratione sui muneris: ergo eundem actum iurisdictionis potest Capitulum exercere, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, non vniuersalis, sed vniuersalis, ut tradunt Canonistæ in c. Felini. *Cum olim de Maiorit. & obediens.* vbi videtur potest Felinus versic. 6. Et confirmatur, quia hic actus est valde necessarius ad administrationem curæ Episcopalis, quæ cura, & administratio commendata est Capitulo: ergo non est verisimile esse priuatum hanc potestatem, ita ut toto tempore vacantis Sedis non possit exponi, vel approbari confessor in illo Episcopatu, sed quod oporteat ad Summum Pontificem accedere.

Ex quo vltimum colligo, Abbates, qui etiam exercent Episcopalem iurisdictionem, ita ut quoad actus ordinariæ iurisdictionis sint exempti ab Episcopis, posse exponere, & approbare confessores intra suos terminos. Hoc in primis confirmat vnus: mihi enim constat plures Abbates huiusmodi exercere hunc actum, ut Compluti Regij, Pincij, & Metimæ Campesitri, quos non est verisimile vltros fuisse hac facultate, nisi in hoc decreto essent comprehensi: quod maxime confirmat, quia nunquam in hos illis contradictum est. Secundo, ratio facta fere eodem modo procedit, quia iste est actus solius iurisdictionis, & hi prelati habent iurisdictionem Episcopalem, ita ut in hoc foro oves illorum nullum recognoscant superiorem illis, præter Summum Pontificem ergo possunt hunc actum exercere. Et confirmatur quia interdum in huiusmodi Abbatis nullus Episcopus potest exponere confessores; sed non est verisimile hoc esse reseruatim Papæ: ergo est commissum Abbati, qui ibi habetur veluti loco Episcopi. Unde confirmatur secundo, quia Vicarij Episcoporum hoc possunt, quia Episcopi illos constituunt vice ipsorum; & similiter Capitulum Cathedralis hoc potest, quia succedit Episcopo: sed isti similiter constituti sunt à Pontifice quasi loco Episcoporum, & cum iurisdictione Episcopali: ergo possunt eundem actum efficere. Confirmatur tertio, quia hac ratione possunt huiusmodi prelati dispensare in votis reseruatim Episcopis, ut bene notauit Naua. c. 12. num. 75. ergo idem erit in presenti. Igitur cum nomen Episcopi in hoc decreto iurisdictionem potius respiciat, quam consecrationem, ut in principio dixi, complectitur omnem illum, qui iurisdictionem Episcopalem ita in Ecclesia participat, ut supra se non habeat proprium Episcopum, præter Summum Pontificem.

Decla-

Declaracionem autem illam Romanam in suo originali videre non potui, nec mihi constat quam authentica sit; verba autem citata facile possunt ad dictum sensum accommodari, quia etiam in illis verbis non explicatur, qui praelati, vel Capitula sub nomine Episcopi in dicto decreto comprehendantur, sed solum dicitur, *alium, qui non sit Episcopus*, quod nos intelligimus de quolibet, qui non sit Episcopus, nec stricte, sed cum extensione à nobis declarata; ita ut excludantur omnes Praelati, tam inferiores immediate subiecti Episcopis, quam superiores, v.g. Cardinales, non habentes Episcopatum. Dices, Ergo nomine Episcopi comprehenduntur in hoc decreto Prouinciales, & Generales religionum respectu suorum subditorum. Respondetur negando sequelam. Possunt quidem hi praelati religionum suos subditos exponere, & approbare ad confessiones suorum religionum audiendas, non quia hoc specialiter eis concedat Concilium per hæc verba; sed potius quia, vt diximus, in hoc decreto nihil statuit de confessionibus religionum, sed tantum secularium, respectu quorum non possunt dicti praelati religionum approbare etiam suos subditos: nec ad hoc comprehenduntur nomine Episcopi, quia non habent iurisdictionem Episcopalem, & ordinariam in populum fidelium, qua nomine Episcopi proprie indicatur. Item quia, sicut non habent iurisdictionem in seculares, ita non possunt actus iurisdictionis circa illos exercere: approbare autem confessores respectu illorum est actus iurisdictionis. Et ob hoc etiam non possunt approbare confessores pro confessionibus secularium.

A talis conditio iuste, vel iniuste opposita sit. *Exempla sunt facilia: nam propter hanc conditionalem, Nisi quis renatus fuerit, &c.* etiam si ex iniquitate alterius paruulus priuatur baptismo, non assequitur illius effectum: vel (magis moraliter) propter hanc conditionalem; *Nisi quis per sententiam fuerit declaratus hereticus, non priuatur bonis suis*, etiam si iudex iniuste illum non declarat: tamen quandiu non declaratur, non priuatur bonis suis: ergo similiter, &c. Secundo à contrario; quia si Episcopus in re ipsa approbet: etiam si forte iniuste vel male faciat, tamen quod ad sacramenti valorem pertinet, hoc sufficit quantum est ex parte approbationis: ergo idem erit & conuerso, vt seruetur a qualitas. Tertio adiungi potest ratio moralis, quia Concilium voluit hoc reseruare iudicio Episcoporum, quia illi sunt superiores pastores ordinarij: & quia, moraliter loquendo, præludendum est bene vsuros hac potestate: lex autem moralis vniuersalis esse debet, etiam si in particulari possit quis interdum illa male vti; nec aperienda fuit ianua, vt inferiores in dubium reuocarent hoc superioris iudicium, sibi que vsurparent, quod magis fuisset incommo- dum.

B Et fortasse hoc voluit insinuare Concilium in illis verbis, *Aut alias idoneum iudicetur, & approbationem, que gratis datur, obtineat*. Illa enim duo verba non nihil obscuritatis habent, scilicet iudicari idoneum, & approbationem obtinere. Possunt enim ita exponi, vt scrupulum & dubitationem ingerant, nimirum, vt sensus sit, nec iudicium sine approbatione, neque approbationem sine iudicio sufficere. Ex qua declaratione optime colligitur quod intendimus: videlicet, non satis esse quod aliquis habeatur, & iudicetur idoneus, etiam ab ipso Episcopo, quod ad intellectum pertinet, nisi etiam ab ipso obtineat approbationem seu licentiam ad confessiones audiendas, quod pædet ex voluntate. Hinc vero sequi videtur, etiam è contrario non sufficere, quod Episcopus de approbatione & licentiam, si illam det absque iudicio, seu contra iudicium, sciens, & vides hunc non esse idoneum: nam Concilium vtrumque copulatiue requirit: Consequens autem valde scrupulosum est, quia talis approbatio, licet iniusta & illicita sit, non tamen videtur nulla; alioquin multæ confessiones redderentur dubiæ, quia sepe huiusmodi approbatio datur per fauorem, & vel contra iudicium, vel certe sine iudicio de sufficientia sacerdotis. Propter quod probabile est, illa duo non esse ita diuersa, vt illud iudicium referendum sit ad internam mentis existimationem, *approbatio vero ad externam declarationem: sed iudicium etiam referri ad hoc externum, quod in foro Ecclesiæ fit* (nam de internis non iudicat Ecclesia) sic autem illa duo verba, vel erunt æquipollentia, vel ad maiorem declarationem posita: quia non satis est vt priuatum iudicetur quis idoneus, nisi etiam iuridice id declaretur, quod pertinet ad approbationem; vel etiam quia plus est approbari, quam iudicari idoneum. Potest enim aliquis absolute & simpliciter iudicari idoneus; & tamen non expèdire, vt vel in hoc loco, vel respectu harum personarum ad audiendas confessiones exponatur, & ideo non approbetur. Non improbo etiam priorem declarationem: scilicet voluisse indicare Concilium, non satis esse approbationem omnino fictam solum exterius factam, alias iudicando eum, qui exterius approbatur, non esse idoneum: hoc enim plane videtur esse contra substantiam approbationis. Nam, licet necessarium non sit quod approbatio sit ex vero iudicio secundum rem ipsam, nec quod sit summa diligentia facta: videtur tamen necessarium vt saltè procedat ex iudicio, quo hic, & nuncialis persona iudicetur idonea, quia alias non est approbatio, sed fictio tantum: & nec satis sit verbis, nec intentioni Concilij vt cuique tamen illa verba exponantur, & concludatur quod

7
Duo verba concilij explicantur.

Obiicit.
Dilatatur.

An sufficiat petere approbationem, si iniuste negetur.

Querendum vero superest quod secundo loco in titulo questionis propositum est, an hæc approbatio omnino necessaria sit re ipsa obtenta, vel sufficiat petita. In quo vnum est certum, scilicet, si approbatio iusta ex causa negetur, nihil referre quod petita sit, alioqui statutum Concilij nullius esset momenti, quilibet enim possit hanc facultatem petere, quod ridiculum est: cur enim talis petitio aliquid iuris, vel commodi afferet, si iniusta, vel impertinens sit? Vnde etiam colligo, quando non est manifestum, & euidentem approbationem iniuste negari, nihil referre quod petita sit, quia semper ius superioris integrum manet; iniuste fecisse præsumitur, quando oppositum non constat. Difficultas vero est, quando euidentem esse personam idoneam, qui petit; & sine causa, vel ex mala voluntate repellit. Et est ratio dubij, quia hæc approbatio, vt supra dicebam, non est opus gratiæ, sed iustitiæ: est enim veluti iudicium, seu sententia iusta ergo iniuriam facit Episcopus quando sine causa eam negat, & contra merita personæ petentis: sed actio iniusta nemini nocere debet ergo; ea non obstante, ille manebit expositus seu approbatus. Et confirmatur, quia consensus debitus, & iniuste negatus, in iure eandem vim habet, quam consensus datus, vt patet in t. *Licet*, de Regularibus, vbi propter hanc causam, regulari petenti à suo superiore licentiam transeundi ad perfectiorem ordinem, sufficit petita, & non obtenta.

Nihilominus dicendum est, iure ordinario necessarium esse hanc approbationem re ipsa exhibitam, nec sufficere petitam, etiam si iniuste negetur. Hæc est communis sententia omnium, vt ex sequenti dubio à fortiori patebit. Eam vero ita colligo ex Concilio; quia ex illo elicitur hæc condicionalis, *Nisi quis sit approbatus ab Episcopo, non potest confessiones audire*: sed huiusmodi condicionalis habet hæc vim vt si in re ipsa non ponatur requisita conditio, effectus sequi non possit: ergo. Neque ad hoc refert, quod

Fr. Suarez. tom. 4.

In quo consistat difficultas.

Solutio dubij.



intendimus: scilicet, necessarium esse hanc approbationem obtentam, nec satis esse petitam, aut debitam.

8 Neque obstat ratio in contrarium facta. Respondetur enim, actionem vel potius omissionem iniuriosam saepe posse nocere, vt aliquis careat aliquo bono, vt in exemplis datis patet. Ad confirmationem iam supra in simili diximus, & notauit etiam Medina Cod. de Confess. quæst. 34. ad 2. consensum debitum ex se non tantum operari, quantum exhibitum, vt euidenter constat in cuiuslibet sacramenti administratione; quoad aliquas vero actiones aliquando non est necessaria exhibita confessio seu licentia, præsertim vbi iura id declarant, vt in dict. c. Licet, hic vero oppositum potius in iure declaratur, vt explicauimus.

9 Inquiret vero, aliquis, an oporteat hanc approbationem in scriptis dare ad modum authenticæ sententiæ. Respondeo, hoc necessarium non esse, quia Concilium non postulat licentiam in scriptis; nec oportet, vt nos restrictionem addamus: & ita visu constat saepe solo verbo concedi: consultius tamen est eam in scriptis recipere, vt certius de illa constet, quando necesse fuerit.

10 Denique dubitabit aliquis, an etiam verbum illud Concilij, *Quæ gratis datur*, substantiale sit, ita vt si contingat hanc approbationem pecunia obtineri, nulla sit, sicut collatio beneficij pecunia obtenta nulla est: videtur enim illa conditio eodem contextu poni, & eodem modo requiri, ideoque substantialem esse. Sed non opinor in eo sensu accipiendam illa verba; sed solum continere præceptum, quo præcipitur Episcopis, vt hanc approbationem gratis concedant, non vero quod illa conditio sit posita tanquam ita necessaria, vt si non fuerit expleta approbatio, non valeat; nec forte expediens: nec in Concilio est aliquod verbum, ex quo sufficienter id colligatur: nam illud verbum *gratis datur*, optime exponitur præceptiue, vt dictum est.

An religiosis mendicantibus satis sit licentiam petere, & non obtinere.

11 Quæuis autem superior resolutio secundum quæ ordinarium vera sit, dubitari potest, an exceptionem aliquam patiatur Nauarrus enim in Sui. cap. 27. num. 264. & 265. existimat religiosis Mendicantibus satis esse licentiam petere ab Episcopis, quamuis ipsi non concedant. Quia vero ipse fundatur in priuilegijs horum religiosorum, pauca de illis præmittenda sunt. Primo enim Alexander 4. his religiosis concessit facultatem audiendi confessiones quam postea confirmauit Urbanus 4. & Clemens 4. qui, vt refertur, simpliciter illam concesserunt, quamquam non respectu omnium, sed eorum, qui ad audiendas eorum conciones conueniebant, vt refert Alenf. 4. p. q. 78. memb. 1. art. 3. ad 1. Postea vero Bonifacius 8. in extrauag. *Super Cathedram*, de Sepulchris, concessit hanc facultatem simpliciter respectu omnium; ea tamen conditione, vt superiores, Generales vel prouinciales tenerentur prius facultatem petere ab Episcopo ad eligendos confessores, deinde electos præsentare ipsi Episcopo, vt eos admitteret; quod si id facere nolleret, illa præsentatio sufficiebat, & Pontifex ex tunc illos ad mittebat. Deinde vero Benedictus 11. in extrauag. *Inseruita*, de priuilegijs, confirmauit eadem priuilegia, & abstrulic necessitatem illius solennitatis, seu præsentationis, sed solum voluit vt dicti superiores verbo, vel scripto significarent Episcopis se designasse religiosos aliquos ad confessiones audiendas, non explicando eorum numerum, neque nomina, neque expectato consensu Episcoporum. Tandem vero Clemens 5. cum concilio Viennenfi in dict. Cle-

ment. *Dudum*, de Sepulchris, reuocauit hanc Extrauagantem Benedicti, & reduxit rem ad statum, in quo per Bonifacium erat constituta, & in eo durauit vsque ad Concilium Tridentinum.

Et quoniam auctores censent adhuc etiam durare in omnibus, quæ per Tridentinum innouata non sunt, aduertendum est, duo fuisse à Bonifacio requisita: primum petitiõ licentiæ ad eligendos confessores: secundum præsentatio eorum, quæ in rigore significat personalem præsentiam. Ex quibus Syluest. *Confessor*. 2. q. 1. dicit, primum non fuisse necessarium simpliciter, sed ex quadam urbanitate secundum vero fuisse ita necessarium, vt sine illo non possent isti religiosi gaudere priuilegijs Pontificijs. Nauarrus autem capit. 27. num. 294. dixit verumque esse necessarium, quia Pontifex eodem tenore vtrumque postulat. Vnde Armilla verb. *Abolutio*. n. 24. dicit, si religiosi non seruent hanc solennitatem, sed simpliciter petant ab Episcopo licentiam audiendi confessiones, posse quidem ab ipso Episcopo recipere iurisdictionem, non tamen per priuilegia Pontificia, nisi tacite vel expresse intelligatur Episcopum cedere iuri suo, & esse contentum. Hactenus de iure vsque ad Tridentinum. Hoc supposito, est sententia Nauarr. per Concil. Trident. non esse derogatum hoc ius, sed priuilegia hæc manere in eodem statu, in quo antea erant. Fundamentum eius est, quia illa priuilegia in duobus Concilijs Generalibus recepta, & in iure posita, iam habent vim Conciliaris legis: non est autem verisimile huiusmodi legem esse derogatam per Tridentinum, nulla facta eius mentione: quia iuxta principia iurisperitorum, non derogatur Conciliaris lex, non facta illius mentione speciali, vel vniuersalis Concilij ingenerare. Et confirmatur, quia hic approbatio debita habet vim obtentæ ex adminiculo iuris.

Sed hæc sententia nec vera, nec præctice probabilis mihi videtur. Primo, quia illa exceptio repugnat expresse illis verbis Concilij, *Nullus sacerdos secularis, vel regularis*; vbi primum eos in hoc æquiparat. Deinde rogo, an Concilium aliquid nouum statuat circa regulares, necne: si nihil, cur eos nominat? & si aliquid, ergo & aliquid abditis, quæ antea statuta erant; & id, quod denuo statuit, vult ad regulares extendi. statuit autem vt requiratur approbatio obtenta, sicut offensum est ergo vult hanc etiam regularibus esse necessariam; & hoc addit antiquiori iuri. Secundo retorquetur fundamentum Nauarr. quia hoc decretum etiam Conciliare est, & Pontificiale, quando quidem per Pontificem confirmatum est: sed lex Pontificia addit aliquid priori legi, & corrigit illam, etiam si in iure continetur, & nulla fiat expressa illius mentio, quando verba posterioris legis hoc requirunt, vt aperte colligitur ex c. 1. & 2. de Constitutionibus. in 6. ergo.

Nec dici potest, Concilium in illis verbis intelligendum esse de regularibus non habentibus priuilegia: tum quia fere nulli sunt huiusmodi, & ita dispositio Concilij fuisset nullius momenti: tum etiã, quia statim addit, *Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, &c.* Tertio Pius 5. in motu proprio 38. anni 1567. qui incipit, *Et si Mendicantes*, concessit his religiosis, præsertim Theologiæ Magistris, vt speciale priuilegium quod sine approbatione Episcopi possent audire confessiones, non reuocando Clementinam, *Dudum*, sed solum Conc. Trid. ergo intellexit ex vi illius necessariam esse regularibus hanc approbationem. Vnde anno 1571. in 44. Motu proprio, qui incipit, *Romani Pontifices*, reuocauit priorē motu, & aperte docuit, etiã Magistros Theologiæ regulares indigere hac approbatione. Quod postea confirmauit Greg. 13. anno 72. Motu proprio 15. qui incipit, *In tanta*, & reduxit ad formam Concilij: ergo clare

Rationi contraria satis sit Medina.

Non oportet approbationem in scriptis dari.

An necesse sit approbationem gratis dari.

Nauarr.

Alenf.

12 Conc. Trid.

Syluest.

Nauarr.

Armil.

Sententia Nauarr.

13 Nauarr. sent.

reprobauit.

14 Obiit eorum curiam.

elare supponunt hi Pontifices hanc legem Concilij comprehendere regulares omnes. Quarto, si sententia Natur. vera esset, etiamsi Episcopi iuste non admitterent huiusmodi religiosos, non oblaeret, & si vellent illos examinare, non haberet ius, quia ex vi Extratragantis, Super Cathedrali, & Clementinae, Dudum, examen, & iudicium horum regularium suis superioribus concessum erat, & solum requirebatur exterior presentatio; nec Episcopi poterat pretendere aliquam causam ad non admittendos illos: ergo, si Concil. Trid. in nulla re derogavit illa privilegia, aperte sequuntur quae intulimus; quae tamen absurdissima sunt, & quae nec ipse Natur. concedet. Praeterea inter responsiones Cardinalium circa Concilium in 162. declaratur, religiosos, etiam prelatos, non posse familiares suos, suisve monasteriis servientes absolovere, nisi sint approbati ab Episcopis: ergo multo minus poterunt reliquos seculares.

ASSERTIO.

Dicendum ergo est, etiam his regularibus necessarium esse hanc approbationem obtinere. tenentur tamen Episcopi ex iustitia illam non negare sine iusta causa, & grauius peccarent aliter faciendo: & quamuis per Clem. Dudum, possint Episcopi certum numerum religiosorum approbare, iuxta necessitatem populi, & non plures, tenentur tamen, si religio habeant alia privilegia Pontificia, ea illis seruari, vt constat ex c. Quanto amplius, de Privilegiis. Denique addendum in hoc videtur, illam solennitatem requisitam olim ex Clem. Dudum, nunc non esse ad eam necessariam, quam Concil. Trid. postulat. Vnde quacunq; ratione Episcopi contenti sint, & religiosos approbent, illis satis est, vt privilegia suis vtantur: nam, si in restrictione supra dicta Concilium addidit aliquid priori iuri, cur non in ampliatione? Praesertim cum Concilium ipsum hoc expresse relinquat voluntati Episcoporum, & verisimile non sit, nunc plus requiri in sacerdotibus regularibus, quam a secularibus postuleretur.

SECTIO VI.

Cuius Episcopi approbatio necessaria sit & sufficiat, vt aliquis sacerdos confessionibus audiendis simpliciter idoneus reputetur.

Contingit aliquando eundem esse Episcopum loci confessoris, & poenitentis, & tunc non habet locum praesens quaestio, quia nulla est pluralitas Episcoporum; inter quos fiat comparatio. Aliquando vero alius est Episcopus loci, alius confessoris, alius poenitentis: inter dum, licet idem sit Episcopus poenitentis, & loci, tamen confessoris diuersus est, vel e conuerso cum idem sit Ordinarius loci & confessoris, non poenitentis. Merito ergo inquisitum est, cuius Episcopi approbatio ad Concil. Trid. postuletur, & ordinario iure necessaria sit, & sufficiens. In qua re quatuor excogitari possunt dicendi modi.

Prima ergo sententia sit, nullius Episcopi approbationem determinate requiri, sed confuse alicuius & cuiuslibet sufficere. Itaque, si sacerdos sit approbatus ab aliquo Episcopo, id satis est, siue ille sit Episcopus loci, siue clericus, siue poenitentis. Hanc sententiam videntur supponere, qui dicunt, approbatum ab vno Episcopo, quicumque ille sit, esse idoneum, vt possit eligi in confessorum vbi que gentium, & a quolibet poenitente: quam ita expresse declarat, & defendit Henriquez lib. de indulgentiis, cap. 12. §. 4. Fundamentum est, quia Concilium nihil aliud requirit, nisi vt sit ab Episcopo approbatus. Fr. Suarez. tom. 4.

Atus: ergo vbi lex non addidit determinationem, non est a nobis addenda. Praesertim cum lex illa quoad hanc partem restringat quodammodo privilegia omnia, & antiquam libertatem, & ideo ex hac parte stricti iuris esse videatur. Declarari etiam potest in hunc modum, quia approbatio Episcopi loci non videtur necessaria, vt statim ostendemus, nec Episcopi confessoris, quia potest Episcopus poenitentis approbare clericum sibi non subditum, vt audiat confessiones suorum subditorum: nec Episcopi poenitentis, quia confessoris sufficit, vt declaratum esse a Cardinalibus, infra ostendemus: ergo nullius Episcopi ex dictis determinate sumpti est necessaria approbatio. Quod autem cuiuslibet sufficiat de Episcopo poenitentis iam probatum est: de Episcopo confessoris idem Cardinales declarant: de Episcopo autem loci patet, quia quilibet Episcopus potest approbare quemlibet sacerdotem dignum, vt in iudicio audiatur quoslibet poenitentes. Haec sententia valde ampla videtur, nimiamque licentiam concedere: & fundamenta eius non sunt firma: quia Concilium debet iuridice intelligi, vt dicemus.

Secunda ergo opinio dicit necessariam esse approbationem ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Hanc tenet Ioan. Gutierrez in lib. 1. canon. q. c. 27. n. 6. & sequentibus, vbi expresse ita exponit clausulam Bullae concedentis facultatem eligendi confessorum approbatum ab Ordinario: scilicet illius loci, vbi poenitens confessorium eligere vult, vt illic confiteatur. Probat primo, quia quotiescunq; Concilium disponit aliquid faciendum ab Ordinario, licet determinationem non addat, intelligitur de Ordinario loci: de quo (inquit) nemo dubitare potest. Et potest probari: tum quia alias summa esset confusio: tum etiam quia Ordinarius debet intelligi iuxta subiectam materiam, & in illo loco non est alius ordinarius. Secundo, quia Episcopo loci commissa est cura animarum sui Episcopatus in loco commorantium, non vero aliis extraneis Episcopis: ergo ad illum solum pertinet approbatio omnium, qui in illo loco audituri sunt confessiones: & hoc seruandum est, ne confusio sequatur, vt generaliter docent canones, & signatim Tridentinum sess. 14. c. 9. de Reformat. Tertio, quia extra territorium ius dicenti impune non paretur. l. vt. ff. de iurisdic. omni. iudic. ergo similiter, &c. Et alias rationes adducit praedictus auctor, quae communiore sunt, & ad aliud intentum adduci possunt, vt paulo inferius dicam, & ideo illas omitto.

Haec ergo sententia, si materialiter (vt ita dicam) intelligatur de loco, in quo fit confessio, difficile defendi potest. Quia supra generatim ostensum est, accidens esse huic sacramento, quod in hoc vel illo loco fiat, dummodo iurisdictioni confessorum, in poenitentem retineatur. Et ideo principium illud, Extra territorium ius dicenti, &c. in dicto sensu non recte hic applicatur: quia illud habet locum, vbi iurisdictioni circa territorium locale terminatur: si autem loquatur de actu iurisdictionis, qui extra territorium exerceri potest, non habet in eo locum illud axioma, vt patet de absolutione ab excommunicatione data extra territorium subdito ibi existenti, vel e conuerso data ab Episcopo existente extra suum territorium, tamen respectu sui subditi. Idem ergo est de absolutione sacramentali, vt supra est ostensum, quamuis autem hic non sit sermo de iurisdictione, sed de approbatione, non refert: nam si non obstante necessitate iurisdictionis, potest esse valida absolutio data in alieno territorio, sine iurisdictione Episcopi illius loci, cur non sine approbatione? Eo vel maxime, quod principium illud ratione solius iurisdictionis in iure proponitur, non ergo bene applicatur. Secundo, declaratur exemplo, quia si subditus Episcopi Conimbricensis Olysuppone existens, & habens Bullam Cruciatam, ibi